

enumerata ☿ & ♀. minus ualent, quod quidem ex eo prouenit, quod Luna non tantum ob congruam signi qualitatem magis magisque sordes aluium citat, sed etiam quod agitatedum, impulsuque est, ad loca inferiora, præidentis signi beneficio eiecit. Et quia Leo cœlestis stomachum tenet, ipse præ cæteris ea in re est execrabilis. Ad do quod si uarij humores e corpore humano soluendi sint, cholericos facilius subducemus, quum Luna ex aqueo aliquo signo cum Veneris placido aspectu effulserit. Flegma uero opportunius, si cum Sole eo modo locata fuerit. Sed melancholicos re etius si in aërio (exceptis ♀) cum Ioue Luna ipsa, citra tamen coniunctionem, constituta fuerit. Postremo nocentes sordes aluo securius subducuntur per enemata, dum luna ab impedimentis ante enumeratis libera Scorpionem, Libram ue peragrarit. Præterea haud parum contulerit, si hora sumendi pharmaci idoneum signum ascendens possederit, dominusque eius cum planeta sub terra posito benigna radiatione copulabitur. Quandoquidem signa ruminantia membraque superiora respicientia, dominus quoque ascendens in aspectu planetæ supra terram existentis, nauisquam quandam, uel subuersionem, aut uomitum prouocabunt, quod propositum euacuandi consilium nonnihil impediet.

Pro balneis conuenientia tempora scrutari.
Canon V.

Introitus balnei his maxime diebus ualet, quibus minutio sanguinis salutaris est, plurimum tamen refert ornamentis & mundiciæ, an sanitatis gratia recuperandæ id fiat. Quod si mundiciæ causa balneum quis ingredi uoluerit, Luna, Libram, aut Pisces occupante, & Veneri fausto radio applicante, id faciat. Si uero sanitatis recuperandæ gratia obseruandum est, an exsiccationem uel humectationem sua infirmitas postulauerit. Nam si exsiccationem desiderat, ut in paraliticis, Lunæ locum in signis igneis & aspectibus Martis & Solis felicibus maxime eligat. Si autem humectatio quaeritur, ut in phtisicis fieri solet, tunc Luna in aqueis signis & fortunatis configurationibus, Veneris louisque quaesitum potissimum præstabit.

Ad tondendos capillos idoneum tempus obseruare
Canon VI.

Quanquam in hac materia authores cum recentiores, tum uetusti nonnihil dissentiunt, libuit tamen ea, quæ rationibus probabilibus, magis accedunt, hoc in loco paucis afferre. Illis igitur quæ in omni electione obseruanda esse præcipimus præmissis adijcimus, si capillos cito & pro decore renasci uoluerimus, id crescente Luna in signo piloso, præcipue uero Tauro, Virgine & libra, Luna constituta, & in aspectu Veneris & Iouis placido, rite agemus. Detestamurque aspectus & fortitudines maleficarum, signumque Arietis si in capite tondendum est, & Lunam decrescens in primis damnamus. Nam ea decrescens capilli tonsi caluos faciunt, authore Varrone. Si uero capillos non renasci, aut saltem tardius crescere uoluerimus, sit Luna decrescens in Cancro, Scorpione, Piscibus & cauda Capricorni, in aspectu Mercurij & Solis bono, hæc enim signa à pilis aliena sunt. Quod si forte alia quedam ad cædenda, uel carpenda, uel tondenda sunt, ut à putrefactione conseruentur, quemadmodum ligna in syluis cadere, uerres, iuuenos, arietes, hædos castrare, sues mactare &c. id totum, ut Plinius ait, innocentijs decrescens Luna, quam crescente fiet.

Tempus